est. quod expressum in nostro corpore ultimo tempore censebitur et secretum cogi-
tationis scriptum in cordibus nostris legetur. Demus ergo operam ut dum in hoc
sumus uitae curriculo constituti. tamquam a malo aduersario ita ab inprobo
liberemur actu. ne dum imus cum aduersario ad magistratum in uia nostrum
condemnet errorem. Id est secundum matheum. esto consentiens aduersario tu-
o cum es cum illo in uia. Et nouin autem graece dixit. hoc est beniuolus. Si enim
dum sumus in hac uita exsoluamus nos uinculis diaboli. nec ille postea
nos damnabit. et nos uinculis eius erimus alieni. Vnde et pro assyrio psal-
mus scribitur septuagesimus nonus. Bene enim consulis aduersario. et pro illo as-
syrio. hoc est bene facis si eius laqueis exutus praestes hanc beniuolen-
tiam. ut poenam tui lapsus et mortis euadat. Quod si uinculis eius here-
as. tradet te tamquam reum magistratui. id est accusator et proditor. Quis
est magistratus. nisi penes quem omnis potestas est. et qui pleni et perfecti temporis
sublimem sibi uindicat potestatem. Bonorum itaque operum fretus conscien-
tia non timens aduersarium. sanctus propheta festinat dicens. Sitiuit anima
mea ad deum uiuum. quando ueniam et apparebo ante faciem dei. Hic enim
magistratus tradet reum iudici. ei scilicet cui uiuorum et mortuorum tribuit
potestatem. Tribuit per naturam non per gratiam. Non enim quasi non habebat ac-
cepit. sed quod ex substantia patris cum generaretur assumpsit. Hunc ma-
gistratum et iudicem monstrat qui monstrauit et accusatorem. et osten-
dit quando sit reuelandus. in die inquit qua iudicabit deus occulta ho-
minum secundum euangelium meum per iesum christum dominum nostrum. Hic ergo est iudex
iste christus. per quem omnia occulta redarguuntur. et improbi operis poena man-
datur. Vis scire christum esse iudicem. qui exactori tradit et in carcerem mit-
tit. Ipsum interroga. immo ipsum lege in euangelio dicentem. Tollite et
mittite illum in tenebras exteriores. Exactores quoque suos ipse
monstrauit alio loco ubi dicit. sic erit in consummatione saeculi. Exibunt
angeli. et separabunt malos de medio iustorum. et mittent eos in cami-
num ignis. ibi erit fletus et stridor dentium. Superest nunc ut intelle-
gamus quid sibi uelit figura quadrantis. et uidetur usualis rei expressum no-

ΕΥΝΟωΗ